





LVI  
146  
75  
13

DISSERTATIO POLITICA

DE

URBE,

Quam,

TORGENSE LYCEUM

Cum

CELEBERRIMA WITTEBERGENSIUM  
ACADEMIA

jamjam commutaturus,

Speciminis Valedictorii loco,  
assistente

M. ABRAHAMO ZIEGKIO  
RECTORE,

ANNO M. DC. XCII. d. 20 SEPT.

IN PRIMANORUM AUDITORIO

Placido Opponentium Examini  
subjiciebat

RESPONDENS

FRIDER. GODOFR. de WOLFFERSDORFF,  
Eqv. Lus.



TORGÆ,

Literis JOHANN. ZACHARIÆ HEMPI



1462.

V I R O  
ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO  
DOMINO  
**OTTONI HIERONY-  
MO de STUTTERHEIM**

REVERENDISSIMI AC SERENISSIMI

SAXONIÆ DUCIS

**CHRISTIANI II.**

**Postulati Administratoris**

Martisburgensis, in Supremo per Inferiorem  
Lusatiam Dicasterio cùm Civili tum Ecclesia-  
stico Præfidi, Toparchæ in Oge-  
rose &c.

Moecenati ac Patrono suo summo

Levidense hoc Dissertationis  
Scholasticæ specimen

Demissè dedicat

atq; offert

**RESPONDENS.**



I. N. J.

## Procœmium.

**I**N Panfophico nostro, quod horis extraordinariis & privatis aperuimus, Collegio ultimam nuper manum imposuimus doctrinae Politicæ. Cumq; hoc labore in eorum tantum defungamur gratiam, qui positis humaniorum Artium fundamentis, in Academicam lucem propediem prodire in animo habent; itaq; id etiam simul damus operam, ut cum repetendò tum disputandò ad extemporalem loqvendi promptitudinem Juvenes excitentur, atq; sic, ad obeunda expeditiùs Academicorum munera, his quoq; exercitiis aliquvantisper præparentur. Ne verò desit publicum industriae nostræ specimen, quod à Respondente cum primis Patria requirit, operæ pretium esse duximus, de Urbe hac vice non nihil differere, idq; postea placidæ Opponentium censuræ exponere. Duabus

A

verò

rò partibus nostra absolvetur Tractatio, Nomina-  
li alterâ, alterâ Reali. Faxit Deus feliciter!

PARS I.  
NOMINALIS.

§. 1.

**Π**ολυσήμαντον est Urbis vocabulum, à Scriptoribus Latinis non  
minùs, ac à Græcis vox ἄστυ, diversimodè usurpatum, adeoq; nostri  
erit muneris, B. L. ante omnia commonefacere, qvam significa-  
tionem in præsentì faciamus nostram. Non ergo nobis denotat (1)  
unum aut alterum celeberrimæ Urbis individuum, quemadmodùm  
hòc titulò κατ' ἰξοχήν & per Ἀντονομασία olim Roma insigniebatur.  
*Quint. Lib. 8. c. 2. vid. Latin. Scriptorum passim.* Sic in Græcia Athenæ  
vocabantur ἄστυ *Corn. Nep. in Themist. c. 4. §. 1. it. Magius Lib. 4. Misc.  
s. 6.* Nec (2) Metonymicè sumitur pro Civibus ac incolis, tanquam  
continens pro Contento. Quo sensu *Virgilius canit Æneid. Lib. 11.  
vers. 265.*

*Invadunt Urbem, somnò vinòquè sepultam.*

Nec (3) quemlibet designat coetum. Quemadmodùm *Ephorus Lib.  
5. de Invent. Rer.* servorum cohortem seu familiam vocat servorum  
Urbem. Citante *Knichen. Oper. Pol. Lib. 1. c. 7. Thes. 1.*

§. 2. Sed intellectam volumus Urbis vocabulò conjun-  
ctam multarum ædium seriem, civitatis incolis recipiendis & toven-  
dis destinatam, non exclusis mœnibus, si quibus gaudet. Quo sen-  
su *Cicero pro Sext. inquit: Tum Domicilia conjuncta, quas Urbes dicimus,  
inventio est divinò jure & humanò mœnibus sepserrunt. It. Lib. 1. de Repub.  
7.* Ubi, Carthaginis mentione factâ, expressis verbis Urbem à Civitate  
distingvit: *Quam, inquit, quùm locis manuquè sepsissent, ejusmodi  
conjunctionem tectorum Oppidum vel Urbem appellarunt, delubris distin-  
ctam, spatiiq; communibus.* Omnis ergo populus, qui est talis cœtus  
multitudinis, qualem exposui, Civitas est.

§. 3. Qvi

§. 3. Qui in Etymologiam vocis inquirunt, Originem ejus deducunt ab Orbo vel Urvo, hoc est, aratri curvaturâ, quò olim spatium & quantitatem Urbium designabant, ita ut, ubi portam esse vellent, ibi aratrum portarent, unde porta dicta. *Testibus Isidorò Lib. 15. Orig. c. 2. Cal. Rhodig. Lib. 26. c. 5. It. Ovid. Lib. 4. Fast:*

*Ipsè tenens strivam, designat mœnia sulcò.*

*Et Virgil. Lib. 2. Georg:*

*Apta dies legitur, quâ mœnia signet aratrò.*

Quâ consuetudine quoque utebantur Veteres, Urbem penitus eversuri, & solo æqvaturi. *Hinc Horat. Lib. 1. Carm. Od. 16.*

*Imprimeretq; muris hostile aratrum exercitus insolens.*

Alii ab Orbe Urbem volunt dictam, quòd olim, positis in Orbem plerumque ædificiis, oppidum exstrueretur. *Notante iterum ex Isidoro Clarissimo Martini in Lexic. Philol. Voc. Urbs. c. m. 4092.*

§. 4. Synonymorum scrutinium instituentibus, primò nobis se offert locò Vox Oppidum. Etsi enim quorundam est opinio, Urbem de majoribus tantum ac celebrioribus locis prædicari; Oppidum verò de minoribus. Attamen Autoritate ista quidem destituitur sententia. Sanè apud gravissimos Autores promiscuum invenies utriusque vocabuli usum. *Julius Cesar Lib. VII. de Bell. Gall. c. 13.* Avaricum vocat oppidum maximum ac munitissimum in finibus Biturigum. *Mox. C. 15.* scribit, amplius viginti Urbes Biturigum incensas esse, dignitate & præstantiâ Avaricum minimè æqvantes. *Sic Cic. 4. in Verrem, Syracusis sæpe nomen Urbis, semel tamen Oppidi attribuit.* Ut taceamus Melam, Plinium aliosq; nihil planè differentie inter Vocabulum Urbis & Oppidi agnoscentes. Præterea Mœnia sæpenumerò pro Urbe ponuntur, & ad Poetarum quidem metra Synecdochica hæc vocis acceptio aptè quadrat. *Lucan. L. IV. ab initio:*

*Graiorumq; domos, direptaq; mœnia transfert.*

*Es apud Virgilium Lib. 7. Æneid. v. 153.*

*Centum Oratores augusta ad mœnia Regis*

*Ire jubet.*

§. 5. Non possumus hòc locò siccò præterire pede, quòd ex *Hadrian. Valesii Præf. Notit. Gall. annotavit Hoffmannus in Lexic. Voc. Castrum,* Antiquis Gallis omnes omninò Urbes Castrorum vel

Castellorum nomine venisse, exceptis solis Provinciarum capitibus. Sic recentiores quoque Scriptores Castri vocabulò nunquam non denotant Oppidula, arce vel aliò quopiam munimentò roborata.

PARS II.

REALIS.

§. 1.

**A**πὸ τῆς ὀνομασολογίας ad rem ipsam pedem moturi, definitionem ante omnia præmittimus. Est igitur Urbs plurium Ædificiorum, cum publicorum tum privatorum, jussu vel permissu Magistratùs summi, pro recipienda Civitate, ad Usus necessarios & communem securitatem ordinata Conjunctio.

§. 2. De Genere, cujus vicem vocabulum Conjunctio in Definitione subit, non est, quod aliquid differamus; accuratiùs verò examen Verba, ad Differentiam Specificam facientia, requirunt.

§. 3. Materia, ex qua Urbs componitur, sunt ædificia, cum publica tum privata; quorum illa ad usum publicum seu communem exstruuntur. E. g. Tempia, Scholæ, Curia, Xenodochia, Nosocomia &c. Hæc verò privatis suis usibus sibi quisque destinat.

§. 4. Et circa hanc quidem Materiam aliquid humani passu videntur multi Politicorum, dum Urbem ex pluribus Vicis, seu pagis compositam vocant consociationem. *Vid. Daneus Lib. 1. Pol. c. 3. Kekerman. in Præcogn. & alii passim.* Etenim verba, prout jacent, actualem istorum Vicorum præsupponunt præexistentiam, quod Historia de plurimarum Urbium Origine manifestè refutat. Utpote quæ non ex vicis aut pagis, antè præexistentibus & in unum corpus collectis, sunt enatæ; sed vel è paucis casis ob piscandi commoditatem, ut Amstelodamum, teste *Hornio Dissert. Polit. Histor. 13. Lubeca, secundum Reusnerum de Civit. Imper. C. 7.* Vel ex unò eòque exiguo pagò, ut Lipsia, tradente *Heidenr. in Chron. Lips.* vel è castrorum reliquiis, quibus plurimas per Europam Urbes & nomen & incubula debere *Freinshemius Autor est in Comment. ad Curt. Lib. IV. Cap. 7. n. 2. Conf. Hoffm. in Lexico Voc. Castrum, Unde & Germanorum*

Ap-



1467

Appellativum Stadt à Stativis, per abbreviaturam, Romanis usita-  
tam, syllabâ Statt expressis, dictum vult *Joh. Herold. Comment. de Ro-  
man. in Rhetia Literali stat. one C. II.*

§. 4. Ad Causam Efficientem spectant Definitionis ver-  
ba: *Jussu vel permissu Magistratus summi.* Quibus innuimus, Jus  
condendæ Urbis, vel privilegii Civitatis loco cuidam concedendi,  
primariò competere Magistratui Supremo, τὸ κρείον in Republica  
tenenti; secundariò illi, cui Magistratus summus ejus rei potesta-  
tem fecerit. Et in aliis quidem Rebuspublicis extra omnem con-  
troversiam aleam res posita est. At in Imperio nostro Germanico  
oritur Quæstio: An ad Reservata seu specialia Imperatoris pri-  
vilegia jus illud pertineat, ita, ut citra concessionem ejus nemini Sta-  
tuum licitum sit, Urbem condere, vel locum aliquem Civitatis pri-  
vilegiis ornare? An verò Superioritas territorialis, quâ Status gau-  
dent, illud quoque jus in se contineat: Ut videlicet illi, inconsul-  
tò Cæsare, in Regionibus, ditioni suæ subiectis, Urbes erigere, ere-  
ctisquæ de Civitatis immunitatibus prospicere propriâ valeant auto-  
ritate?

§. 5. Prius asserit Imperator, ut videre est ex inhibitorio  
Maximiliani I. Mandatò, Anno 1514. ad Albertum Mansfeldiæ Co-  
mitem, ex vico quodam prope Islebiam Urbem struere molientem,  
transmissò. Cujus tenorem *Thomas Michaël de Jurisd. Concl. 12. lit. C.*  
his refert verbis: *Wann nun dir / noch iemand anders / nicht gezieh-*  
*met / Stadt-Recht / oder anders / so der hohen Obrigkeit anhängt / oh-*  
*ne sondere Erlaubniß auffzurichten / so empfehlen ic.* Similis argu-  
menti rescriptum ab hodiernò Imperatore, Invidiissimò Nostrò Leo-  
poldò, ad Magni Nominis Principem esse transmissum, refert *Knich-*  
*chen. Op. Pol. Lib. I. c. 6. Thes. 12. Explic. I.* Posterius velle Status, il-  
losque hoc jus nunquam non exercuisse, vide ap. *Knichen. c. I.* Qui-  
bus rationibus se Status tueantur evolve apud *Schwederum Introd. in*  
*Jus Publ. Part. Speciali Sect. I. C. 18. §. 4.* Ubi argumentis simul con-  
trariis §. 5. obviam it. Plures tamen Juris Publici Scriptores Impera-  
torias defendunt partes, quos supra dictus *Schwederus d. l. §. 3.* ma-  
gnò citat numerò, quibus addi possunt & alii. Nos de Urbe sim-  
pliciter, non verò de Oppido, intra Romani Imperii fines extruendò,  
hâc vice solliciti, utriusquæ partis rationes in medio relinqvimus.

Δ 3

§. 6.

§. 6. Forma Urbis in Definitione vocabulò *Ordinata* exprimitur, quò significamus, omnia in Oppidis ædificia decorò debere coherere ordine, ut foro viisque publicis justum relinquatur spatium. Foris per Germaniam celebres sunt Civitates Wratislavia, Noriberga, Augusta Vindelicorum, Lipsia, Colonia, Monachium, Hanovia. *Knichen. Op. Pol. L. I. c. 7. Thes. 7. explic. 8. f. m. 290.* De viarum verò publicarum qualitate ac latitudine videri potest. *Tholos. in Syntagm. Juris Lib. III. c. 13.* Cæterum an quadrata, an Octogena, an Ovalis aut alia forma Urbi condendæ sit aptissima, ex loci qualitate prudens æstimabit Architectus.

§. 7. Tandem in Definitione mentio fit causæ finalis. Et finis quidem quæ est *Civitas, h. e. Universus habitatorum cætus ex personis singulis remotè, proximè è simplicibus societatibus in majorem illam seu compositam, h. e. Civitatem collectus.* Secundariò tamen peregrinorum etiam & advenarum in Urbibus extruendis haberi rationem, publica testantur diversoria. Idquæ exigit cum Christiana charitas tum peregrinantium necessitas, ut taceam de humanitatis laude, quæ florent apud externos Oppidorum illorum incolæ, qui comiter peregrinos excipiunt. Et extat hac de re egregius apud Ciceronem locus *Lib. III. c. 2. Officiorum: Malè etiam, qui peregrinos Urbibus uti prohibent, eosquæ exterminant, ut Pennus apud Patres Nostros, Papius nuper. Nam esse pro Cive, qui Civis non sit, reatum est, non licere, quam tulerunt legem sapientissimi Consules Crassus & Scævola: Usu verò Urbis peregrinos prohibere, inhumanum sanò est.*

§. 8. Finis igitur est (a) *Commoda habitatio: Etenim cum nec Tentoria Arabum Plutarch. in Lucull. c. 43. nec Carri Scytharum hodie Tartarum, centonibus coriisque tecti, quibus pro domibus utuntur. Mela Lib. II. c. 1. magnâ se commendunt commoditate; Licet in Urbis quoque formam locentur, ut de portatili quodam Arabum Oppido Philippus de S. Trinitate in suo Itinerario Orientali Lib. II. c. 4. Sect. 4. & 5. his refert verbis: In Arabia deserta singularis quedam Urbs est, in qua Arabum Rex in magno tentorio aulam sive palatium suum habet, ex illo diverse plateæ, nomina sua certa habentes, formate sunt, quæ semper locum suum servant, etiamsi tota Urbs aliò transferatur. Nam quia Rex ille Turcas timet, idè sæpe locum Urbis mutat,*

ut pauci sciant, ubi cum suis habitet; & tentorium suum cum reliquarum incolarum, multa millia conscientium, tentoriis de loco ad loca per Camelos transportari curat. Vid. Knichen. Op. Polit. L. I. c. 7. Thes. 1. Explic. 4. Aliud Domiciliorum Oppidorumque muniendorum consilium, habitandi commoditatibus usibusque suis magis serviens, prudentiores ceperunt populi.

§. 9. Porro (β) ad finem γ spectant Definitionis verba: Ad mutuos usus; Namque alterum alterius indigere ope, optima rerum magistra experientia unumquemque edocet. Ad sublevandam igitur hanc indigentiam in Urbes coiverunt homines, ut multis ædibus continuâ serie cohærentibus, habitatores eò citius mutuum sibi ferre possent auxilium, quò propius arctiusque eos vicinia junxisset. In quam rem dictum credo Germanorum Proverbum: *Vicinus propinquus fratre longè dissitò cõt melior.* Et quò mutuis his usibus serviri possit adhuc commodius, diversarum Professionum Ordinumque homines ad habitanda oppida semper confluent, ut Eruditi, Artifices varii generis, Agricolarum &c. Qui deinceps efficiunt ut dandò & accipiendò, permutandisque facultatibus & commodis, nullâ re egeant. Cic. Lib. II. Offic. c. 4. Cujus re utilitate cognitâ, nostri quoque Germani, olim nec Urbes habitantes, nec junctas quidem inter se sedes patientes. Tacit. de Morib. Germ. missò feræ suæ consuetudini nunciò, copiosissimas ornatissimasque per omnes Germaniæ partes extruxerunt urbes.

§. 10. Tandem (γ) ad finem hunc referenda quoque est, cuius mentio fit in Definitione, *Communis Securitas*: Etenim hanc in Urbibus sperari posse quàm maximè, evincit tam habitatorum copia, quàm murorum, aggerum vallorumque, quibus Urbes frequenter sepiuntur robur. His omnibus sicuti hostium latronumque impetus declinatur, ita hominum vita redditur munitior. Teste Cicerone Lib. II. Offic. c. 4. Et vana est Tenætorum, quâ Ubiis urbes tanquam ignaviæ signum vitio dabant, exprobratio apud Tac. Hist. Lib. IV. p. m. 598. *Ut amicitia societasque nostra in æternum rata sit, postulamus à Vobis, muros Colonia, munimenta servitii detrahatis.* Siquidem mœnibus esse cinctum & juxtâ tamen fortitudini operam dare, non implicat.

§. II.

1



§. 11. At alia est Quæstio, an Muri sint de essentia Urbis? ubi à negativis stamus partibus: Licet enim superius jam concessum sit, ad securitatem eos facere. Interim tamen illa ipsa securitas non præcisè in muris consistit, quin aliis quoque mediis obtineri potest. e. g. copiosâ armatorum incolarum multitudine. Sic Londinum Parisiasque nemo ex Urbium numerò excludet, si vel maximè mœnibus non sint cinctæ, sed murorum locò infinitam Civium habitatorumque copiam hosti possint opponere. Huc pertinet egregium Ludovici Ferrei Landgravii Thuringiæ factum, qui Imperatori arcem monstravit fideli animosorum subditorum grege, murorum locò septam *Vid. Binhard. in Chronico Thuring. lib. I. ad annum 1170.* Præterea possunt Urbes absque muris præstare securas munimenta naturalia, ut Paludes, rupes, aquæ. Vel alia etiam artificialia, hominumque manu posita; valla, puta, & aggeres ex cespide sarmentisque confecti, quos muris hodiè præferunt, partim, quia tormentis fortius resistunt, partim, quia facilius & mutari & reparari possunt: *Becm. Medit. Polit. Dissert. XI. §. 10. p. m. 189.*

§. 12. Sufficiant hæc instituto nostro, etsi enim multa adhuc, ad Urbem pertinentia, non inutiliter huc referri possent; Nobis tamen, brevitati litantibus, ea saltem ulterius dilucidare placuit, quorum superius est injecta mentio in Definitione, cujus vestigia pressè sumus secuti.

## SOLI DEO GLORIA.



CORO.

# COROLLARIA.

Ob materiæ affinitatem, ad explendum vacuum paginæ spatium,  
huc apposita.

I.

Expedit Reipub., urbes arcesqve munimentis roborari. Contra Lycurg. & Machiaveil.

II.

Fines potissimum Regnorum ac territoriorum propugnaculis sunt muniendi, ne hostium pateant injuriis.

III.

Unam Urbem in immensum crescere, non est ex usu Reipublicæ.

IV.

Urbes mari vel magno flumini non debent esse nimis vicinae, nec nimis ab eo remotæ.

V.

Peregrini prægnantibus de causis Urbibus prohiberi possunt.

B

VI. Ve-

## VI.

Nimis superba & sumptuosa ædium structura,  
civibus non est concedenda.

## VII.

Scholæ in Urbibus locis, ab hominum strepitu  
remotis, sunt erigendæ.

## VIII.

Jura ac Privilegia Civitatum non sunt habenda  
pro Synonymis.

## IX.

Malè agebant Romani, quòd, cum Pœnis pro-  
misissent, Carthaginem fore liberam, id  
postea de Civitate interpretabantur, Cartha-  
ginensibus de Urbe accipientibus. Zevecto-  
tius ad Flor. Lib. II, c. 15. Beem. Medit. Pol.  
Dissert. XI. §. 9.

**F I N I S.**



99 A 6971

ULB Halle 3  
002 912 201



Sb.

VJ 12  
Retro







LVI  
146  
75  
13

DISSERTATIO POLITICA

DE

URBE,

Quam,

TORGENSE LYCEUM

Cum

CELEBERRIMA WITTEBERGENSIUM  
ACADEMIA

jamjam commutaturus,

Speciminis Valedictorii loco,  
assistente

M. ABRAHAMO ZIEGKIO

RECTORE,

ANNO M. DC. XCII. d. 20 SEPT.

IN PRIMANORUM AUDITORIO

Placido Opponentium Examini  
subjiciebat

RESPONDENS

FRIDER. GODOFR. de WOLFFERSDORFF,  
Eqv. Luf.



TORGÆ,

Literis JOHANN. ZACHARIÆ HEMPI

